



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

XXII. Der Bischof Siegfried bestätigt dem Domcapitel alle Besitzungen und Rechte, die es bis daher erworben, 1173.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

Otto. Data in Brandenburg, anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>. LXX<sup>o</sup>. quinto Kal. Januarii, indictione III. in nomine domini Amen.

Nach dem Originale. — Abdruck bei Gerden, Stiftsch. S. 359.

**XXII.** Der Bischof Siegfried bestätigt dem Domcapitel alle Besitzungen und Rechte, die es bis daher erworben, 1173.

— Sifridus, divina favente clementia Brandenburgensis ecclesiae episcopus, aeterna retributione confusus, cathedralem nostram jam dictam ecclesiam, diversis temptationibus diu molestatam, ad dei et beati Petri, apostolorum principis, honorem secundum praedecessoris nostri piae memoriae Wilmari episcopi ceptam devotionem quibuscunque modis valui sublimare, dilatare atque defendere summo opere invigilavi. Quicquid igitur dignitatis et beneficentiae tam in archidiaconatu et libera electione pontificis quam in aliis praerogativis cathedralibus canonicis concedendis supradictus praedecessor noster praefatae ecclesiae canonicis, secundum regulam beati Augustini sub norma Praemonstratensis ordinis illic deo militaturis, concessit et competenti testimonio stabilivit, hoc totum nostra nichilominus attestatione ratum fore et inconvulsum permanere constituimus. Ipsam ergo beati Godehardi in Parduwin ecclesiam, ex qua eos predictus presul summa deliberatione principum in castrum Brandenburg, scilicet in sedem episcopalem transposuit et curam animarum commisit, illam, ut diximus, et beati Nikolai ecclesiam et si quae aliae in ejusdem civitatis parrochia in posterum fuerint aedificatae ecclesiae, omnes illas cum tertia parte decimarum de villis ad eam pertinentibus, nec non et ecclesiam beatae Mariae in monte Harlungenberg cum tertia parte decimarum ex adjacentibus vineis, sicut prenotatus antistes, Ottone marchione annuente et sui juris donum praefatis canonicis perpetualiter concedente, in praebendas eorundem condonaverat, ita quoque nos omnimode communire operam dedimus. Preterea has illas: Bukowe, Garceliz, Bultiz, Kie, Mufeliz, Gorne cum decimis et appenditiis earum, cultis et incultis, campestribus, silvestribus et palustribus cunctisque utilitatibus, has, inquam, villas cum duobus lacubus inter Gorne et Sylowe sitis, sicut iam sepredictus episcopus in usus eorundem canonicorum contradiderat et coram publica synodo Brandenburgensi sed et Magdeburgensi archypraesule Wygmanno cooperante, confirmaverat, sic nos quoque auctoritate beati Petri et nostra perhenniter eis stabilivimus, insuper et villas alias, a praedicto Ottone marchione et filiis ejus Ottone et Heinrico praenotate ecclesiae collatas, scilicet Mukrowe, Tremene, Ture cum decimis et omnibus attinentiis earum, campestribus, silvestribus, cultis et incultis, cunctisque utilitatibus, ecclesiam quoque in Ture cum tertia parte decimarum de villis ad eam pertinentibus, scilicet de Izin, Crelinge, Bauerftorp, et si quae aliae villae ibi fuerint, centum quoque mansos in Zuche sitos, quos praedictus Otto princeps pro anima patris et matris et uxoris suae Judithae marchionissae, filiis eorum consentientibus cum omnibus attinentiis optulit; quinque quoque modios majoris mensurae falis annuatim persolvendos, duos quoque mansos in Rodensloue ab eisdem oblatos, aliam quoque villam, Dambe dictam, a Rodolfo de Jerichowe in opus ejusdem ecclesiae Ottoni marchioni resignatam et ab eo et filiis ejus cum omnibus attinentiis ejus, silvestribus et palustribus cunctisque utilitatibus, cultis et incultis, ecclesiae oblatam, sed et ejus decimas a domino Wilmaro episcopo in usus fratrum concessas, molendinum quoque in Clinke, sex etiam

arearum fundos in civitate Parduwin a fidelibus oblatos, ecclesiam quoque in Cechowe cum sua dote et omnibus decimis ejusdem villae et tertiam partem decimarum de villis ad eam pertinentibus, sed et ecclesiam in Goliz cum dote sua et tertiam partem decimarum tam hujus villae quam aliarum ad eam pertinentium. Haec et omnia data et concessa tam a praedecessoribus nostris episcopis quam a principibus et aliis fidelibus, ego Sifridus Brandenburgensis episcopus protestando eidem ecclesiae cum decimis et omnibus, ad jus nostrum pertinentibus, concessi, et, ut rata et illibata in evum permaneant, auctoritate patris et filii et spiritus sancti et beati Petri et nostra stabilivi et proprio sigillo communivi. Si quis igitur ea infringere aut temere mutare praesumpserit, nisi resipiscat, anathematis condignae sententiae hic et in perpetuum subiaceat. Amen. Hujus rei testes sunt Wigmannus, Magdeburgensis ecclesiae archiepiscopus, Walo, Havelbergensis episcopus, Rotgerus, majoris ecclesiae praepositus, Otto, Reimarus, Henricus, ejusdem ecclesiae canonici, Henricus praepositus ad Sanctum Sebastianum, Conradus decanus, Gevehardus, abbas de Conradesberg, Gerhardus, Brandenburgensis archydiaconus, Reinherus, praepositus de Lyecke, Baldramus, praepositus Sanctae Mariae in Magdeburg, Hubertus, Havelbergensis praepositus, Ilfridus, praepositus de Jerycho, Otto, marchio Brandenburgensis et filii ejus.

Nach dem Original. Das Datum fehlt; in dem alten Copiarlo ist aber am Rande die Jahreszahl 1173 beigefügt.

**XXIII.** Bischof Siegfried von Brandenburg bestätigt eine vom Erzbischofe Wichmann an die Kirche zu Jüterbeck vorgenommene Schenkung, vereignet ihr die Zehnten und das Archidiaconat, im April 1174.

In nomine Sanctae et individuae Trinitatis. Sifridus, Dei gratia Brandenburgensis Episcopus. Cum Superintendentis nomine et officio auctoritate fungamur, sollicitudinis nostrae esse debet, Ecclesias nobis commissas praecipue diligere, eisque commodum et quietem non tantum in praesenti, verum etiam in futuro providere. Notum igitur facimus omnibus Christi fidelibus futuris et praesentibus, quod nos pro salute animae nostrae, desiderio quoque et petitione Venerabilis Domini nostri Wichmanni, Magdeburgensis Archiepiscopi inducti, agente dilecto nostro Gunthero de Gratia Dei dedimus Ecclesiae in Juterbuck omnem decimam, quae iuris nostri fuit, de sex mansis eidem ecclesiae ab Archiepiscopo assignatis et de aliis quinquaginta mansis in duabus villis, quarum una vocatur Dycke, altera Rothe, quas idem Archiepiscopus pro sua suorumque salute contulit Ecclesiae in Gratia Dei. Cui etiam adiecimus tertiam partem decimae de ipsa civitate Juterbuck, et de quatuor villis adjacentibus, ut eadem ratione et eodem iure ad usus illius Ecclesiae perpetuo pertineat. Nomina illarum villarum sunt haec Rutenisse, Rothenwienstorf, Brodesse et Grossestorp. Sciendum quoque, quod nos pro commo terrae illius et novitate populi, ad petitionem iam dicti Domini nostri Ottonis de Brandenburg aliorumque fidelium nostrorum Clericorum et Laicorum, decrevimus, ut Archidiaconatus terrae ipsius ad parochialem Ecclesiam Juterbuck pertineat et Praepositus de Gratia Dei ratione ipsius Parochiae, quae sua est, ibi Synodalia sine alicui contradictione, salvo Canonico iure nostro perpetualiter administret. Quae ut futuris temporibus inconvulsa et illibata permaneant, auctoritate Dei omnipotentis et Apostolorum eius petri et Pauli, ac no-